



502.

7
DISSERTATIONEM POLITICAM,
^{D E}
PACE EX-

TERNA,
M. JO. CHRISTIANUS

BUCKIUS,
Græfenhaynenfis-Saxo,
Sereniff. Saxon. Electoris Alumnus,

&
DANIEL THEODORUS
GROELLMANN,

Græfenhaynenfis-Saxo.
*Publico eruditorum examini
subjiciunt*

In Acroaterio Majori
Die XIX. Junii, hor. matutin.



WITTENBERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.

VIRIS
Summe Reverendo, Nobilissimo,
Amplissimis, Prudentissimisque,
DOMINIS
M. JO. CHRISTIANO
SAUERESSIGIO,
Ecclesiae Græfenhaynensis Pastori, at-
que ejusdem & vicinarum Superattendenti
Summe merito.
ANTONIO *Am Ende*/
Consuli Reipubl. Græfenhaynensis Spe-
ctatissimo, atque Electori Serenissimo Saxoniae
a Reditibus,
CHRISTOPHORO KOPPIO,
Prætori civitatis ejusdem meritissimo,
Reliquisque Reipubl. Græfenhaynensis
Senatoribus dignissimis,
Omnibus Stipendii Miriani Inspectoribus
gravissimis,
Dominis Patronis, Avo, ac Promotoribus suis apprime co-
lendis ex grato animo dissertationem hanc
D. D. D.

Præses.

Q. D. B. V.

§. I.



Uæ res in omni republica duæ sunt maximæ, & e quibus omnia in civilibus societatibus pendent, pax & bellum; *πόλεμος γὰρ καὶ εἰρήνη* *μεγίστην ἔχει δύναμιν ἐν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων*, Isocratis iudicio, & Theon Sophista in progymnasmatibus: *δύο, ἰνὸν κτλ, καὶ εἰς πάντα διαίτησι τὰ τῶν ἀνθρώπων προήγματα*, λέγω δὲ πόλεμον καὶ εἰρήνην, conf. *Polyb. lib. 6.* & *Cic. pro Mura.* ex præfenti appenduntur tempore, omnisque fere Europa, cultior imprimis mansuetiorque, cujus causa agitur, anxie expectat, ultra tandem lanx deprimi cœptura sit. Nec vero in hoc major explendæ curiositatis, quæ quidem cum optimis studiis sedem in hac sibi terræ parte diu fixit, cupiditas, quam pacis recuperandæ inest. Auream enim pacem bello ferreo plumbeoque, ut vere *cum Poeta* loquar, nullus sanæ hominis non anteponit, adeo, ut etiam miles improbus, qui ex armis vivit, & fere cum illo impio Martis filio in *Manlii LL. pag. 247.* ægre fert supplicationem nostram: *Da pacem Domini in diebus nostris*, profectioes molestissimas nec multum manubiarum afferentes pertæsus diu & enixe illam exoptare videatur.

§. 2. Atque id quidem merito & gravissimis de causis. Sive enim quis discrimina & damna, quæ cum armis conjuncta sunt, consideret, sive amplissima pacis compendia & commoda spectet: utrinque urgebitur acerrime, illa detestari, hanc omnibus modis expetere. Malorum tumultus bellicos comitantium tanta multitudo est, ut chartula hæc aliis destinata rebus ea, si recensentur, non capiat. Vid. *Jo. Ristii Kriegs- und Friedens-Spiegel, Magni Turci Epist. 1. ad Zancassanum p. 3.* *Franciscus David Bonbra in Arte B. & P. lib. II. discurs. II. p. 4. & subseqq.* aliique passim. Pacis rursus & pulchritudinem & jucunditatem & utilitatem pluribus ostenderem, quia de hac deinceps disputare constitui, si quem esse dubitarem ejus laudibus non suffragaturum. Speciem ejus amabilem referebat proximum ver amœnissimum. Non pudet *Erasmi* æque elegantis ac veræ descriptionis, cujus nec multos claros viros puduit, licet auctorem & librum dissimularint. Ita vero ille in *Adag. Chil. IV. Cent. I. p. 851.* Pacis tempore non secus, ac si novum quoddam ver rebus humanis affulserit, coluntur agri, vernant horti, pascuntur læta pecudes, ædificantur villæ, extruuntur opida, instaurantur collapsa, ornantur & augentur extructa, crescunt opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret reip. disciplina, fervet religio, valet æquitas, pollet humanitas, calent artes opificum, uberior est quæstus pauperum, splendidior opulentia divitum. Efflorescunt honestissimarum

disciplinarum studia, eruditur juvenus, tranquillo fruuntur otio senes, bonis auspiciis nubunt virgines, laudantur simili prole puerperæ, florent boni, minus peccant mali. Libet ex multis unum præterea audire *Mantuanum*:

Pax hominum genitrix, pax est custodia rerum,

Pax aperit juris, justitiæque forum.

Gloria pace minor, minor est victoria pace,

Atque aliquid pejus pace triumphus habet.

Nulla quies homini, nulla est sine pace voluptas,

Nullus amor, nullum religionis opus.

Pax urbes, pax regna ligat, pax congregat orbem,

Fiat ut ex multis urbibus una domus.

Secula pax renovat, pax aurea tempora portat,

Et mores prisca simplicitatis habet.

Atque de præstantissimo hoc bono, quo etiamnum nostram beari volumus Germaniam, commentari quædam, animus est.

§. 3. Dulce nomen pacis, ut appellat *Fullius Phil. II. & XIII.* enucleaturis de notatione variæ eaque diversæ sese nobis offerunt sententiæ. Sunt qui a *Græco πᾶσι* repetunt, quod est particula silentium imponentis, quia strepitus armorum, gemitusque afflictorum, sicut in bello, non exaudiantur. *J. G. Scaliger c. 25. de L. L.* dictam vult a *πᾶσι* quiesco, quid enim est pax, nisi optima quies? itaque isti quidem Græciæ acceptum referunt rei, de qua loquimur, vocabulum, cum domi in Latia alii sint, qui natum putant. Enimvero hic non in duas modo, verum in tres etiam abeunt partes Originum Latinarum indagatores. Namque eorum partim *pactionem* pro radice habent; partim *pacis nomen primitivum* existimantes *pactionem* & *pactum* a pace censent factum. Cæteri a *pacandi* verbo enatam esse pacem credunt. Non magni, fateor, res momenti est, undecunque demum ductum sit verbum istud, cum rem, quam nominata investigare, prius & antiquius ducendum sit, verendumque, ne turpiter nos demus in re incerta nenas ac nubem pro Junone fortasse venditantes, id quod Stoicis olim & hodiernum multis sermonis studiosis evenisse videmus. At tamen quosdam ex allatis originationibus contra ea, quæ paulo post asserturi sumus facere, aliasque aliis probabiliore esse intelligentes, excutiamus illas, quoad ejus fieri potest brevissime. Optima sunt Etymologiæ, ubi & *literæ*, & *significatio*, & *exempla*, seu, ut harum rerum magistri efferunt, *materia*, *forma* & *analogia* habentur. Ex Græciis equidem priscorum *Ausonum* ac *Latinorum* prodisse linguam, & hoc pacto locos natales plerisque verbis Latinis in

Hel-

Hellade, speciatim apud Æolos & Dores, quærendos esse, *antiqua historia* facile confirmat. Vid. *Fabius lib. I. institut. orat. c. 5. p. 3. Plinius lib. VII. cap. 58. Dionysius Halicarnassæus Ρωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας lib. 1. p. 47. J. C. Scaliger lib. 1. de plant. it. cap. 29. L. L. Josephus Scaliger in Festum, Gerhard. Jo. Vossius in præfat. ad Lib. de vitiis sermonis, Thomas Gattackerus in Dissert. de N. T. sty'o.* Et tamen non evincitur, omnia Latina Grajis deberi: sicut proinde nec isto argumento continuo affirmandum, pacem appellationem suam traxisse ex locis illis peregrinis. Vocula sane πᾶξ est in Latinam civitatem recepta, quæ etiam ap. *Plautum Milit. 3. 1. 213.* & alibi, item ap. *Terent. Heaut. 4. 2. 39. & 2. 3. 5.* legitur. Sed quid particulæ cum partibus flexibilibus? Quæ autem de *pactione* dicuntur, ab ea pacis nomen esse profectum, hujusmodi sunt, ut nemini accuratius inspicienti & expendenti, probari possint. Videlicet est vetus verbum pago, paciscendi notione quondam usurpatum, quod nuper etiam reperi in *Autor. ad Herenn. lib. II. p. m. 23.* qui ita: *Rem ubi pagunt, orato. Ni pagunt &c.* Sicut *Simeon Bosius &c.* qui cum sequitur, *Lambinus* emendarunt. Jam quis non videt, verbi hujus Supinum procreasse & pactum & pactionem? Relinquitur itaque, istas notationes aut nullas esse, aut saltem ludicras quasdam allusiones; *pacandi* autem verbum unum, quia *una unius nominis vera est notatio*, paci dedisse veram originem. Confirmat hoc ipsum *materia* sive literarum congruentia, confirmat *forma* vel significatio, confirmat *analogia*. Demta a paco terminatione, elemento scilicet o, & pro eo nominali terminatione posita, quæ est s, enascitur ea, quam inquirimus, vox, dummodo duæ simplices ex præceptis orthographicis mutantur in unam duplicem. Significationes tam amice conspirant verbi paco & pacis, ut pigeat rem, quæ ita in promptu est, multis verbis explicare. Denique sententiæ nostræ maximum addit robur exemplorum similitudo. Dum enim picem a picando, necem a necando, legem a legendo, regem a regendo, ducem a ducendo videmus deduci, quidni etiam pacem a pacando?

§. 4. *Synonymia* posthinc rationem habentes ordinis decentis gratia, pacem cæteroquin a scriptoribus Latinis *tranquillitatem, quietemque*, ut reliqua nomina taceam, vocari, uno, quod dicitur, verbo indicamus, quod, quando pace fruitur regnum vel provincia, sine turbine velut & procellis conquiescant, suoque quasi loco consistant, cum e contrario inter arma evertantur suaque ex sede pulsa in incerto hinc & illinc agitentur. Cæterum lingua Ebræorum sanctissima pacem honorifico & dextro decorat nomine, quod ad significandum bonorum, quæ summus creator sorti humanæ largitus est, omnium comple-

xum adhibetur. Sane profecto saluberrima ejus conditio hoc tale omnium maxime videtur mereri. *Pacis enim bono nihil gratius solet audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil melius potest inveniri, Augustinus XIX. de C. D. 11.*

§. 5. Imo ipsa Latina vox per multa bona declarat, non in seculari tantum cyclo, verum etiam in rebus sacris, ut nostrum sit expedire perplexum hunc vocabuli ac multiplicem usum, quo melius nostræ tractationis materies perspiciatur. Semper autem ea mihi visa optima ratio est extricandi ambigue dicta, cum propria ac princeps vocis significatio, *quæ una est*, testante *J. C. Scal. lib. 13. de C. L. L. c. ult.* primum ponitur, subjectis postea accessoriis & translatis. Vindico hoc pacto *Politica disciplina* hoc nomen, ac nativa & ab inventoribus indita vi cum reipubl. statum notare arbitror, qui tranquillus & belli expertus est. Ob similitudinem vero non tantum ad *Physicam* transfertur, ut declaret motionem quandam animi, scilicet benevolentiam, apud *Ter. Heaut. 5. 2. 45.* interprete *Heinsio*, verum etiam ad *Ethicam*, cum observantes decorum honorem in sermone præfamur, pacemque & veniam ab iis, qui audiunt, petimus. Tum vero *divinior disciplina* vocabulo isto maximopere delectatur in describendo præcipue hominis justificati tranquillo æquoque animo vid. *Flac. Clav. Script. S. voc. Pacis.* Nomine hoc etiam gentiles Deam nuncuparunt, cui Vespasianus templum extruxit cum epigraphe: *Paci Æternæ Domus Imp. Vespasiani Cas. Aug. Libero- rumque ejus sacr. Sveton. Vespas. cap. 9. & ad eum Boxborn. pag. 556.* Nos versantes in foro Politico, sicut aperit vel sola Dissertationis inscriptio, in *prima*, *propria ac principe notione* verbo, de quo sermo est, utimur, hac tamen lege, ut neque amicitia in societatibus simplicibus, compositisque, Domo (*der Haus Friede*) vico atque urbe, neque concordia, quam una harum societatum colit cum altera, sed unice status pacatus totius alicujus civitatis intelligatur. Qui cum duplex sit, *alter*, quando animorum conspiratio est & consensus inter imperantes & parentes, *alter*, cum civitas una cum alia quiete agit, neque per mutuam vim sibi nocent; ille pax interna & domestica, isthic externa nominetur: non de utroque conjunctim, sed, quia diversissimi sunt, licet multi sæpe non attenderint, sejuncto priori, de posteriori tantummodo seorsim videbimus.

§. 6. Hanc pacem externam dicimus esse *statum quietum reipubl. cum republica plene consentiente.* Non enim definire possumus vel cum *Augustino Concordiam ordinatam*, vel cum *Alberico Gentili de Jure Belli lib. III. cap. 1. p. 472. compositionem belli ordinatam*, vel cum *Baldo lib. 1. de pact. § 3. cons. 173. plenam discordiarum sedationem*, vel cum *Petro Gregorio de Republica l. XI. cap. 13. p. 700. amicitiam multorum*, vel cum *Franc. Davide Bonbra in Arte B. & P. lib. II. Disc.*

3. pag. 7.

3. pag. 7. transactionem seu conventionem jure gentium pro remittendis injuriis & ineunda amicitia ad utilitatem publicam introducta. Omnes enim definitiones istæ aliam sistunt pacem, ac nos in præsentem volumus, earumque partim paulo ampliores nobis, partim nimis arctæ sunt. *Inducias* naturam pacis non habere, sed potius inter belli commercia referri oportere, propterea cum *Tacito Hist. l. 3. c. 81.* & *Grotio. l. III. c. 21. §. 1. seqq.* judicamus, quia sunt perfectio rerum publicarum plenarieque consensu destitutæ, neque adhuc præstantur, quæ altera pars ab altera exposcit, & quæ negata & præcisa bello initium dederunt. Causa vero belli nondum sublata, pax instaurata & redintegrata dici nullo modo potest: quin potius quando indicto publice bello rupta est, non nisi vera pacificatione reduci posse, censendum est. In primis, cum, notante *πλιπικωτιτω Forstnero ad Tac. Annal. I.* induciæ interdum sint aptiores hostibus opprimendis, quàm bellum. Quæ cum ita esse certo persuasi simus, ab hac sententia nos non abstrahit induciarum distinctio in *longiores & breviores*, quarum illæ peculiari & illo quidem peregrino nomine *Treuga* appellantur. Namque his etiam non bellum finitur, sed pugna; bellum, inquam, non cessat ipsum, verum actus ejus suspenduntur. Quamobrem Galli venuste & vere omnia induciarum genera *suspensions d' armes* nuncupasse existimandi sunt. Nec moramur inducias nimis diuturnas velut centum annorum, absurdas quippe, cujusmodi Romulum cum Vejentibus pepigisse tradit *Livius l. 1. c. 15.* Nullius enim injuriæ memoria tam viva, quæ tanto temporis intervallo non emoriatur, nullum odium, quod non longinquitas & dies, non dicam sæculum, vel in amarulentissimis gentibus minuat atque molliat. Quid autem opus est, reservare sibi ulciscendæ ejus jus, quod cum ultionis tempus venerit, certum est, deletum fore? Mihi quidem hujusmodi induciæ, quarum quidem usum ætas nostra non facile fert, aut insidiosæ videntur, aut certe ipsam pacem tegunt, quam una pars alteri ob rationes politicas expresso nomine concedere dubitat. *Illas* sane inducias *Dionysius Halicarnass. lib. 2. σπονδαίς*, iœdera nominat, suspitioni nostræ frigidam profecto affundens. Quinimo historiarum monumenta nos edocent, non inusitatum esse, ut sub induciarum titulo vera pax concilietur. Id quod factum, inter Henricum VII. Angliæ & Jacobum Scotiae Regem ap. *Verulam Hist. Henrici VII.* Vid. in nostram sententiam *Pufendorf. l. VIII. de J. N. & G. c. 7. §. 4.* Atque ex dictis illico patet, quid statuendum sit de voce, qua *Induciæ pacis temporariæ* nomine salutantur. Quod si proprie sumatur pacis vocabulum, & non potius eo ludatur, ita, ut qualemcunque ab armis quietem velit: improbandam & explodendam censemus. Ad naturam quippe & constitutionem rei nihil penitus

penitus confert duratio, & quod in se pax non est, neque pacis temporariae titulum tuebitur. Quocirca definitionem nostram ita instruendam putavimus, instructamque opinamur, ut etiam induciae cujuscunque generis a communitate commercioque pacis semoverentur.

§ 7. *Status*, quem *Generis* loco adduximus, multa alioquin significat: quo autem modo nos hic intellectum velimus, ex subjiciendis apparebit. Enimvero cum in nulla categoriarum serie reperiat, quando Aristoteles entia moralia videtur noluisse admittere in praedicamentorum consortium: opera danda erit, ut, si recte cognoscere velimus status naturam, per quandam *ἀναλογίαν* alicui categoriae accommodemus. Dubitationem illud quidem habet nullam, substantiae non similem esse, sed accidentium classi accenseri oportere: verum, cum horum plura sint, admodum difficile est, statuere, cui potissimum congruat. Sunt, quibus statum inter *qualitates* referre placet, quorum quidem rationes mihi nondum licuit cognoscere. Tametsi enim non negaverim, qualitatem vocari posse quodammodo; quando quidem vox valde lata atque ambigua est, & nonnunquam sumitur pro omni universalis, quod alteri inest, de quo praedicatur, *Keckerm. System: Logic. p. 96.* Ad praedicamentum tamen qualitatis ubi specialior nominis acceptio est, ut docet *B. Waltherus Brev. Log. MS. part. I. cap. IX. praec. 2.* cum similitudo non occurrat, haud sane adscripserim. *Relationi* similem statum propterea quis pronunciet forsitan, quia omnis status respectum aliquem & habitudinem involvit adversus alios in eo, qui in statu esse dicitur; cum quemlibet statum comitetur jus aut obligatio aliqua, quae sine objecto, in quo vim suam exferat, non intelligitur. At vero abstinerebit, qui cogitat, status praecise accepti formalem rationem nihil relativum dicere, sed in concreto tantum connotare. Optima itaque sententia videtur eorum, qui *Ubi* statui affinem dicitant, eumque *πῦ morale* cognominant, in quo, tanquam substantiae physicae in spatio, substantiae morales actiones atque effectus suos exferant. Ex quibus id consequitur, statum hic sedem quasi quendam ac locum notare, in qua posita velut sit substantia moralis. Vid. omnino *Pufendorf. de J. N. & G. l. i. c. 1. §. 6. 7. 8.*

§ 8. Status porro iste dum dicitur *quietus reipublicae*, forma & subjectum generalia pacis indicantur. Itaque verba ista aliquid exprimunt, quod commune utriusque paci, domesticae & externae est, sive, ut stilo Magistrorum Dialectices utar, *Differentiam Genericam. Specificam* vero, quam vocant, exponunt verba, quae supersunt in Definitione, eamque ob rem praeter caetera attendenda. Videlicet exhibent atque ante oculos ponunt id, ad quod definitum respectum
habet,

habet, hoc est alia respublica. Fingamus enim universalem monarchiam omnia omnino in universo terrarum orbe regna complexam; aut ponamus, unam ab initio fuisse civitatē, & reliquos homines vixisse segrege & dissociatos. Istiusmodi imperia, cū aliud non sit, ad quod referri possint, aut cui jure aliquo obligata sint, pacis, de qua disputamus, capacia non sunt. Nam quietem obtinere poterunt, ut concordia vigeat inter caput & mēbra & in toto civitatis corpore: verum hæc pax interna alia est ab illa, quam hujus tractationis argumentum esse, dudū innuimus. Tametsi enim non ignoremus, illius etiam curam summæ potestati demandatam esse, atq; ejus officio contineri, ut studeat servare quietem in terris subjectis: tamen non solum excluditur capite, in quo jus pacis evolvitur; sed etiam præterea longe aliter, si curate consideres, de ea est statuendum. Id quod vel ex eo fit liquidum, quod non bello externo, sed civili aut seditioni aut rebellionem opponatur. Atque hic corpus civile ita est tractandum, ne quid mali contrahat ruinam attrahentis universæ civitati; aut si membrum, quoddam plurave male se habeant, curandum est, ut adhibeantur illis remedia; aut si mederi malo nequit, qui debet, ressecanda prius sunt, quam pars sincera trahatur. Quæ etiam fuit sententia infelicis illius *ἰτυμολόγης* apud *Limnaum*, qui *Græce* conflatum existimavit ex Anglico *Gritb* & Latino *væ*, quia pacem faceret ex legibus, cum improbi patriæ (venia, quæso, detur dictioni minus aptæ, in notatione inepta) facerent *væ*. Illic contra provideri oportet, ne quid extrinsecus excitetur periculi; aut si assurrexerit vulnera & mortem interminans; quando nostri vere dicunt: *Man kan nicht länger Friede haben/ als der Nachbar wil/* ut defendatur injuria & vis a corpore civili propulsetur.

§. 9. De *causis* pacis aggredienti dicere obvenit prior de *externis*, quam *efficientem* scholæ Metaphysicorum vocant. Quod caput quo commodius tradi expediriq; possit, partitio quædam pacis inculcanda ante est, qua describitur in pacem *communem* & *peculiarem*. Utraq; dicitur vel *ratione principii* vel *ratione termini*, ad quem refertur, vel *ratione amborum*. *Communis respectu principii*, unde fluit, dicta, est, quam præcipit lex naturæ communissima, inter universas æque ac singulas respublicas. Quæ autem ita vocatur, *spectato termino*, est, quæ colitur a republica cum pluribus vel omnibus rebuspub. sive id fiat ex lege tantum naturæ, sive ex pacto certisque foederibus. *Utroque modo* talis intelligitur, quando cum pluribus vel omnibus ex lege naturæ pacate vivitur. *Peculiaris, quæ respicit principium*, nititur foedere expresso, quod non refert cum unane an pluribus aut omnibus civitatibus icatur. Quæ vicissim talis habetur *ratione termini*, est, quæ viget inter duas respublicas ex naturæ jure, aut duarum sanctione. *Utraque ratione peculiarem* appello, quæ ex foedere cum una repu-

B

blica

blica pangitur. Jam & Deum & supremam potestatem causas efficientes, sed modis diversis, dicimus. Deus solus *causa efficiens principalis & proxima est pacis communis principiatiue*, tum *principiatiue & terminatiue simul*, & deniq; *peculiaris terminatiue* talis. Idque tum in *genere cause Physicæ* efficientis; quia homines non tantum ita condidit, ut quiete possent agere cum aliis, sed quoq; menti ipsorum inscripsit, quomodo pax coli queat: tum *in genere morum*, quia per legem naturæ, cujus auctor & architectus est, id officii unicuique societati civili magnæ injunxit, ut & ipsa sedata sit & aliam tranquille sinat agere. Quod quidem tam verum & manifestum est, ut longa & verbosa explicatione & confirmatione possimus supersedere. Unde enim pax inter longe distitas & a se maxime disjunctas gentes, quæ de ea nunquam convenerunt, nisi a Supremo Numine? Unde & primarum rerum publicarum pax, quæ inter eas extitit, antequam colliderentur, aut fœdus super ea ferirent, nisi ab eodem Maximo universi moderatore? Neque est, ut quis obtendat, inter primæva imperia, aut civitates hodiernum ita divisas a se, ut arma conferre nequeant, neque bellum nec pacem fuisse aut esse, sed statum quendam medium. Quod mihi videntur sensisse, qui eam vel in pacis externæ natura interpretanda versantes non attigerunt, vel in definienda præterierunt. Status enim iste qui non pax sit, cum ejus naturam habeat & definitionem? At enim unum est pro illis faciens, quod nulla ad hujusmodi pacem videatur dari obligatio. Quippe si jam ante esset, quid, etiam cum bellum non fuit nullæque inimicitia, nullæque hoc modo belli causæ tollendæ sunt, fœdere initur pax? Quod genus inter Alexandrum & Syrum Triballorum regem, item inter eundem illum & Germanos. Cui & cognatum est amicitia fœdus Isaacum inter & Abimelechum *Gen. XXVI, 28. 29.*

§. 10. Verum de hoc pacis genere ita est existimandum, si nulla plane inter paciscentes partes intercesserit offensio, inutilem, supervacaneam, imo injuriam adversus divinum Numen esse. Quando jamtum ante jure naturæ ad pacem servandam obligati erant, atque fœdus istiusmodi vim æternam immutabilis legis neque augere, neque quicquam de ea diminuere potest. Neq; id quidem verum est, quod alicui videri poterat, obligationem per pactum fieri arctiorem. Nam nihil urget fœderatos, nisi naturalis æquitas, dum reverentur Deum, metuuntque malum, quod in ipsos ex pacto violato potest redundare. Atqui eandem Numinis reverentiam malique ex dictamine legis naturalis violato proficiscentis metum antea etiam oportebat esse. Illud tamen concedi poterat, fœdus delictum videri, si quis ea, super quibus etiam pepigerat, fidemque dederat, non servat, vid. *Pufendorf. lib. II. de J. N. & G. c. 2. §. 11.* Sin inimicitia ante fuerunt, aut discordia, aut diffidentia, tum alia est ratio. Belli enim causæ
aut

aut scintillulæ quasi quædam subsunt, quæ hujusmodi fœdere tolluntur & extinguuntur. Quorsum reducendum esset illud fœdus, quod dixi, inter Abimelechum & Isaacum, si quidem hujus loci esset. Quid Alexander? legem naturæ menti insculptam suæ, quæ erat ejus impietas, flocci faciebat, more a gentilibus non alieno, confer *Rom. I, 18. & subseqq.* ac sine justa causa universo orbi pacem renunciabat. Eaque re tantum consecutus est, ut magnus diceretur. Ast graviter meo quidem judicio erraveris, si hoc nominis honestate, & non potius magnitudine rerum gestarum, quæ non illico virtutes sunt, adeptum credideris. Quid mirum ergo, si vim videntes multi populi, bellum deprecati sunt, pacemque partim etiam cum animi demissione petierunt? Hoc pacto certe non fassi sunt, quicquam adversus se licere Alexandro, sed cum arcere injuriam nullo modo possent, per tale fœdus tutari se voluerunt.

§. II. Pacis porro *peculiaris*, tam *a principio ita dicta*, si quæ forte datur, quam *a principio & termino simul appellata*, itemque *communis a termino nominata*. Deus quoque *causa efficiens principalis primaria*, licet *remotior* est. Sine ejus enim providentia & nutu nulla respublicarum neque in melius neque in pejus fit mutatio. Quod Christiano exactius constat, qui testificari illud potest sacrarum literarum auctoritate, ubi summus ille imperiorum Gubernatori maximusque regum rex omnis in universum pacis inceptor ac perfector allegatur. Hic vero etiam summæ potestati suæ reliquuntur partes, ut *causa efficiens principalis & quidem secundaria* vicem obeat. Ejus enim solius est arma movere, bellum gerere, exercitumque cogere, & delectum habere *l. 3. ff. ad l. Jul. Majest.* ut ita neque pacis arbitrium quisquam alius sibi vindicare possit. *Aristoteles* certe etiam *4. Polit. 14.* belligerandi & pacem pangendi potestates conjungit. Quid? quod ne inducias quidem belli Ducibus facere liceat diuturnas. *Businus in politia & Fesch. de fœderibus thes. 21. lit. O.* Qui tamen proximi habentur a summis imperantibus. Quemadmodum autem summa potestas non est semper penes unum, sed aliquando penes optimates vel populum etiam; ita modo unus, modo plures, modo omnes pacis habenas moderantur *Gudelin. de pace c. 2. in princip.* De mixta vero republica, sive, ut in primis *Pufendorfius* vocat *l. VII. de J. N. & J. c. 5. §. 12. 13. 14. 15. it. in Dissertat. de republ. irregulari, & Monzambano de Stat. imper. Germ. c. 6. irregulari*, nihil certi generatim determinare licet, cum jus pacis in ea varie, prout ferunt leges fundamentales, distributum sit v. g. in nostro sacro imperio Germanico commune imperatori & Statibus imperii est per *instrument. Pac. Osnabrug. artic. VIII. §. 2.* Quæ cum ita sint, injuriam profecto faciunt summis imperiis Pontificiorum scholæ politicæ, quæ, dum Romanos Pontifices jure dicunt posse compellere partes belligerantes

ad faciendam pacem, adhibita etiam censura Ecclesiastica, has sane illi subjiciunt. Ipsi illi doctores, quamvis corruptorum sint sensuum, sententiæ hujus duritiem persentiscere potuerunt, quo circa mollire eam & mitigare conati sunt dicentes, compulsionem fieri non coactive (ita enim loquuntur) sed per suasionis modum. Faceti homines! quasi vero sani qui sunt non sentiant monstruosum illud commentum compulsionis suadentis. Næ res ipsa ususque facile dulces has illorum fabulas confutat, quando ad pacis, quæ sub incude est, consilia Legatus Apostolicus nondum est admissus. Equites Gallici quondam privilegium protendebant, quo sibi aiebant, licere bella inter sese gerere. Imo non gloriabantur duntaxat de hoc jure, verum etiam, quando læsum alter se credebat ab altero, non dicam impingebat, sed bellum indicebat. Atque tum, ut hodie princeps summus, cum armata manu fundos adversarii aggrediebatur. Et, quod impensius mireris, ex legibus certis præscriptis hæc agebantur, quas dum observassent, cætera recte se habere persuasi erant. Propinquis & necessariis non erat liberum alienis esse a partibus, sive, ut recentiores efferunt, neutrales; sed nisi cognationis & successionis jure excidere vellent, consanguineorum signis se adungere copiasque augere debebant. Sed tamen si barbara ista consuetudo aliquot superavit secula, multumque regibus facesivit negotiis: a S. Ludovico tamen prohibita atque per renovationem interdicti a Regibus successoribus aliquoties repetitam penitus abrogata est, ut a Ludovici XI. ætate nihil quicquam de illa amplius auditum sit. *Nitzsch. T. 4. Eph. I. p. 3. seq.*

§. 12. In *causarum instrumentalium* censum vocamus pactiones, quibus de componendo bello ejusque causis tollendis convenit, tum inducias viam aliquando ad pacem aperientes, item utriusque partis Legatorum congressus, Mediatorum operam ac deprecationes. Legatos vero pacificatores oportet esse, graves, & prudentiores, quam eloquentiores, in primis ejusmodi, qui affectus & vehementes animi impetus sciant moderari. Nam similes illius apud *Comineum Hist. lib. 6.* Connestablii, qui in eo erat totus, ut perpetuum aleretur bellum, inutiles sunt ad talia negotia consilio maturo transigenda. Nec displiceant interdum Ecclesiastici, quorum prudentia, religio, pietas, summaque adeo auctoritas maximi ponderis esse possunt ad conciliandos, qui summam rerum tenent. *Richt. axiom. hist. 160.* Haud paulo majus imo maximum omnium momentum positum est in precationibus & supplicationibus sacris ad Numen supremum directis. Enimvero, qui potentissime potentissimorum principum regere valet animos, eum in consilium auxiliumque vocari, ubi de pace reducenda tractatur, necesse est. Quid nobis cum impia voce: In Politicis taceat Deus, cujus auctor Cyclops & Gigas, non Politicus dicendus est, etiam iudicio Domini *Besseli*

*selit eam referentis in Fabro fortune cap. 1. Ut vero matrimonia inter hostes hostiumque duces ultro pro bono pacis adminiculo habuerim; quando his dissoluta bella esse antiqua pariter ac nova historia passim ac multum testetur, Gue-war. in horolog. princip. lib. 2. cap. 2. & anno superiori Sabaudus hoc ipso modo pacem admiserit: ita haud scio, satisne conveniens instrumentum sit pecunia. Non ignoro equidem Ludovicum XI. Galliarum Regem pacem ab Anglorum Rege emisse, de quo Cominaeus Histor. l. 1. c. 75. Venetis pacem anno 1573. a Selymo Turcarum Sultano impetratam constitisse 30000. coronatis, eoque nomine vere auream fuisse, ut refert Paul. Contr. Baltb. Hanus Cand. p. 38. Eosdemq; anno 1639. ab Amurathe IV. non minori summa emisse, ut idem tradit p. 43. Imo olim Gallum imperatorem hac conditione cum Scythis fecisse pacem, ut eis tributum dependeret, quod memorat Sleid. de 4. Imp. l. 2. p. 183. Sed consentio hic Pharnabazo Persæ, qui ap. Justin. lib. VI. cap. I. indignum ait *Bella non perfici, sed redimi; hostem precio, non armis summoveri.**

§. 13. *Rationum, quæ inducunt ad pacificationes, tanta copia est, ut numerus difficulter, ac nullo potius iniri possit modo, quando unusquisque peculiare habet, cur se applicet ad concordiam. Communiores & extantiores ut declarem, pacificatores aut victos esse aut victores, aut æquo Marte discedere, observandum est. Victos stimulat haud dubie majoris mali ac dispendii metus, et si adhuc aliquid copiarum superfit. Sin plane fractæ vires sunt, ut reparandi nulla spes affulgeat, tum multo major est pacificandi ex ipsius parte necessitas, quoniam satius est partem regni ac provinciæ, dummodo adhuc conceditur, servare, quam totam regionem omnesque terras amittere. Neque illos remorabitur dedecoris falso crediti species, quo minus, si fortuna ita ferat, pacem a victore petant. Quanquam enim plerique opinentur, suæ se existimationis jacturam facere, si priores petant; & Carolus V. propterea abhorruerit diu a pace cum Heinrico II. Galliarum Rege ineunda, quod pacem a Rege petiisse incerto rumore diceretur, sicut refert Bodinus 5. de Rep. c. 5. p. 569. tamen quid magis decorum est, quid convenientius summæ potestati, quam quibuscunque modis, dummodo licitis & honestis, salutem reip. procurare? quid rursus minus decet prudentem, quam pertinacia intempestivaque superbia & perire & perdere, quod conservari poterat & debebat? Quo ipso tamen neutiquam pacem intolerabilem, & quæ ignominiam servitutis habet, recipiendam, multo minus appetendam pronunciamus, quo vid. Cic. Phil. XIII. Misera sane & bello posterior habenda pax est, cum reipubl. accidit, quod accidebat Duci Lotharingiæ, ut dicere necesse haberet, ceu prodit Priolus Hist. l. X. c. 25. *Non est pax, sed pactio servitutis.* Recte autem sciteque Seneca in Hercul. fur. *Pacem reduci velle, victori expedit, victo necesse est.* Habet scilicet & Victor causas per-*

multas locum dandi paci, siue honestatem spectet, seu utilitatem. *Magnanimi & modesti principis est, ubi Dei ope, suorumque virtute rem prospere & feliciter gesserit, depositis armis & pace facta, ingratiā cum devictis denuo redire, nec felici bellorum successu extolli,* ait *Thucyd. lib. I.* Quapropter ex hoc capite etiam magna adhuc in gloria sunt Romani, qui *nec victi animum, nec victores modestiam amittebant,* sicut Legatis Antiochi magni respondebatur pacem petentibus, quod annotat *Bodin. l. c. pag. 571.* Tum vero incertus exitus & anceps fortuna belli, quæ sæpe spoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto, ut *Tullius loquitur.* Nam *ea belli plerumque est natura, ut, qui primū usi sunt fortuna secunda, adversam tandem experiantur,* id quod monet *Aristot. l. Rhet. ad Alex. c. 3.* Neq; vero id incredibile aut mirum cuiquam videri debet, siquidem desperatio victæ partis in audaciam versa magnam acquirit vim. Præterea Deus sæpe concessæ victoriæ abusum ita ulcisci solet, ut victorem in deteriorem conditionem devenire tandem patiatur, & ad pacem recusatam illum magno cum ejus damno compellat. Quod si vero *æquus Mars* adhuc, aut alterutra pars non nihil, sed non magnopore debilitata est: tum optimum est, pacem fieri. Etenim *Julius Cæsar l. 3. 10. de B. C.* præclare monet, *de pace agendi tempus optimum & commodissimum esse, dum sibi uterque hostis confidit, & pares ambo videntur.* Veteres etiam non fugiebat, sub Clypeo maximo succedere pacis negotia, *Lips. lib. 5. polit. c. 19.* *Bellay* sapienter indicat hujus rei rationem in oratione quadam: *Asin,* inquiens, *qu' en demandant paix la main armée, nous semblions la donner aut ant, comme la prendre* h. e. ut, petente pacem manu armata, videamur æq; dare eam, atq; accipere. Variæ autem hic utrinq; causæ movent ad pacis studium. Turcæ veteri instituto citius abstinent ab armis, ne hostes ad pugnandum reddant exercitatiores, *Forstner. hypomnem. polit. n. 92.* Hinc non est dubium, quin ægre sit illis, quando bello nunc per quatuordecim ipsos annos producto Cæsarianum militem tam exercitatum usu atq; obduratum cernunt, sicut a rerum harum peritis, qui eos viderunt, accipimus. Alioquin solum fastidium ex diuturnitate belli contractum facit, ut flagitetur pax. Sic ferocissimum illud inter Romanos & Regem Tuscorum bellū hoc modo tandem expiravit, *Patricius de Regis instit. l. 7. tit. II. p. 454.* Accedunt belli incommoda & pacis jucundissimæ uberrimi fructus, quos supra strictim attigimus. Solet etiam accidere, ut alteri cum duobus res sit, quem quidem incitat cupido major alterius reprimendi, ut proclivis ad arma ponenda sit ex una parte. Quinimo salo Reip. atq; cœtus divini, qui *finis primarius* pacis est, & uniuscujusq; commodum, qui *secundarius* esse debet, satis interdum sunt Principi cordato & bono ad afferendum pacis desiderium.

§. 14. *Rempublicam* fecimus pacis, de qua sermo est. *subjectum.* Etiam si enim

Pax

pax aliqua fuit a mundi origine; domesticam enim quis fuisse non intelligit? tamen hanc politicam non potuisse ante existere, quam respublica condita est, cuiuslibet ratio dicitur, quando, ut habet regula Dialectica, *subjectum omne adjuncto suo prius est*. Illud vero nihil ad nos pertinet, ætasne antediluviana viderit respublicas, adeoque hujus generis pacem, an secus, quod ex descriptione Gigantum *Gen. VI. 4. Wolfgang. Heiderus philosoph. Polit. cap. V. p. 632.* elicere velle videtur. Quantum ad *objectum* ceu *materiã circa quam*, ceu stylo scholasticus vocat, eam alii dicunt esse actus in pace concurrentes, alii, inter quos *Jo. Nicol. Hertius in Specim. prudent. civilis Tab. XVII. pag. 101.* quietem internam & externam. Nos cum pacem speciem Ubi moralis s. status fecerimus, non possumus non negare objectum, quod est habituum potentiarumq;. Cum a. sicut monitum supra est, pacem semper quædam jura comitentur, horum objecta huc transferimus. Quæ ut varia sint pro varietate ipsorum jurium: tamen generali nomine officiorum mutuorum inter respublicas describi interea posse videntur. Hæc enim pacis tempore liberaliter et ultro sibi inter sese præstant. *Formalem rationem* pacis posuimus in *quiete inter respublicas consentientes*. Ubi honestatis leges jubent unumquemque in pacificationibus agere bona fide & sine fraudibus, insidiis omnique simulatione, nequis armis positis armatum retineat animum, expectans occasionem, ubi alteram partem nihil tale suspicantem de integro adoriatur. Sicut Ludovicus XI V. malæ fidei Regem se præbuit in postrema pacificatione, cui religio non erat sub prætextu reunitiois, nescio cujus, sanctissima pacta violare. Insatiabilem enim libidinem dominandi dentibus duobus, quos jam ex utero matris prodiens non sine prodigio habuit, præsignificatam, quod sentit *Barthol. Threnemannus in Frankh. Mordbrenner c. 7. n. 1.* expleturus, nulli pepercit juri. Siquis tamen quæreret, utrum vera sit pax, ubi alterutra pacificantium pars extrinsecus simularet consensum, secum ignem & ferrum fovens? affirmarem equidem; alioquin enim, cum in animis hominum tantæ latebræ sint & tanti recessus, nunquam certi esse possemus de pace: sed cum simulata non sint diuturna, constantem vix esse posse asseverarem.

§. 15. *Divisiones* pacis expositurus non necesse habeo eam, qua pax (1) disperitur in *communem & specialem s. peculiarem* ex paragrapho nona repetere. Sed pro conditione eorum, inter quos pax habetur, distribuitur (2) in eam, quæ est inter *eorundem sacrorum* respublicas, & in eam, quæ inter *diversorum*. Quam divisionem eo afferre libitum est, quod sacrorum aut convenientia aut discrepantia multum confert ad firmitatem aut ruptionem pacis. Ejus rei exempla & in omni historia legimus, & a patribus accepimus, & nostra memoria vidimus. Compressa enim manentodia atque tacita, quæ facile instigant leves præcipue animos, ut pacem frangant, fidemque etiam juris jurandi eludant. Cujus ra-

men

men perfidiæ poenam multi dedere. Et quam infeliciter pax quoque cum infidelibus facta violetur, ater ille dies 10 Novembris anni 1444. satis declarat, cujus memoria omnia Romanæ sedis mancipia illico confunduntur, quando Præsuli summo suo rumpendæ pacis cum infidelibus initæ, juramentorumque illis præstitorum solvendorum potestatem tribuunt. Detestantur enim omnes adhuc rebus Christianis vere cupientes Eugenii IV. & Juliani Cardinalis ausus, quibus Ladislao Regi Hungariæ tum auctores fuerunt ad perjurium exitiale illud, quo etiam universus Christianus cœtus, licet nullo suo merito, malæ fidei nomine apud Muhammedanos suspectus factus, Christi que adeo sanctissimum nomen maledictis hostium ejus expositum est. Utrum justiores sint, qui pacem communem crudelissimo & plusquam barbaro modo sine ulla idonea causa in novo orbe superiori seculo violarunt, ipsi videant. Illud quidem certum est, & manifestum, Pontificis Romani concessionem injustitiæ eos non absolvere, quam etiam Attabaliba Peruanus Rex, tanquam ineptam & stolidam alto risit supercilio, teste. *Benzo. Part. 6. Hist. nov. orb. l. 3. c. 3. p. 7. & subseqq.*

§. 16. De effectibus ut hic nihil addam, liberant me illa, quæ dicta sunt in introductione statim de commodis pacis. Cum enim præcipuos ibi indicatos arbitremur, cæteros, si qui sunt, non moramur. In *Adjunctis* primum locum tribuimus *æviternitati*. Bellum sua natura ita est comparatum, ut perpetuam esse nequaquam possit, cum sit consecrarium status bestiarum. Et sententia *Sen. Herc. fur.*

*Si aeterna semper odia mortales gerant,
Nihil reliquent bella.*

Pacis autem ea ratio est, ut intrinsecus natura ejus nihil contineat, quod ipsam destruat aut abrumpat; sed omnia, quæ finem illi imponunt extrinsecus accedunt. Quamobrem *Alb. Gentilis de J. B. lib. II. p. 307.* recte perpetuam prædicat pacem. Valde memorabilis est Romanorum pacem conficientium formula: *Pax sit, dum cælum & terra durat.* Præterea paci adjuncto sunt artium omnium libera exercitia, & quæ ex his consequuntur, civium divitiæ &c.

§. 17. Sicut vero inducias ante distinximus a pace proprie dicta: ita *cognatas* præsertim longiores illi dicere nulli dubitamus. Bellum contra est paci *oppositum*, sicut ruptio pacis pacificationi. Atque cum oppositorum opposita sit ratio, ex pacis explicatione multum sumi poterit ad belli cognitionem & intelligentiam. Itaque describetur status reipubl. armatus adversus rempublicam dissentientem. Atque hic subsistentes & cum bello finientes precamur ab optimo Deo, ut etiam bellorum Germaniam nostram charissimam turbantium motus sistat ac finiat, & quæ in Batavia suscepta sunt pacis negotia, fauste, feliciter, prospereque evenire sinat, ut Musæ pacis amatrices, quæ a nullo unquam picture aut fictore armatæ exhibitæ sunt, de pace instituta mox gaudere queant. Quod omen lætum etiam fert duplex Serenissimi patris patriæ nomen, cujus proinde, supplicamus, fortissima consilia eo dirigat summum Numen, ut *auream aetatem Friderici s. Salomonis, & Augusti Jani templum clauden-*
tis nobis reducat.

94 A 7368

ULB Halle
002 928 582

3



10 17







7

NEM POLITICAM,
 DE
 EE EX.
 RNA,
 RISTIANUS
 CKIUS,
 ynensis-Saxo,
 Electoris Alumnus,
 &
 HEODORUS
 LLMANN,
 ynensis-Saxo.
aditorum examini
ijiciunt
 terio Majori
 unii, hor. matutin.
 * * * * *
 NBERGÆ,
 HULTZII, Acad. Typogr.